



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



Digitized by Google

Blg 2149-19493

11-

(cicada)



Digitized by Google

11-
Blg

par Astension Landi

801413

CICERO
RELEGAT
T V S.



CICERO
REVOCA
T V S.
Dialogi festiuissimi.



VIRTVTB DVCE,



COMITE FORTVNA.

APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVN, I
1534.

P O M P O N I O T R I V V L T I O

H. A. S. D.



O S T E A Q V A M mihi nun
ciatum est amplitudinē tuam
morbo implicitam esse, existi-
maui pro mea in te, Triuul-
tiumq; nomen singulari obser-
uantia, non alienum me facturum, si de al-
leuando isto tuo morbo cogitarem. Mitto
itaq; hasce facetas narrationes, quas, si eo
uerborum splendore non exornauimus (ut
par erat) pro tua incredibili facilitate igno-
sci peruelim. Vale.

DIALOGVS

LEPIDISSIMVS, CVI

titulus Cicero Relegatus, adiecta in calce
civis Revocatione. Ad excellentiss.

uirum Pomponium

Triuultum.



ELLINONAM con-
cesseramus ego & Iulius
Quercens, à cuius latere,
ob excellens ingeniu exis-
miamqz doctrinam, ne la-
tum quidem culmū æquo
animo discedere possum: Cum subito alla-
tæ sunt à Philocalo literæ, quibus signifi-
cabat Philoponū clarissimum splendidissi-
mumqz nostræ urbis ciuem totius corporis
doloribus oppressum, misere spiritum du-
cere. Quo nūcio ita acerbe perculsi sumus,
ut parum abfuerit, quin à mente destitue-
remur: statimqz repudiato consilio, quod
prius intenderamus, illic in amoenissimis
hortis, quos defendente Lucio superiore
anno recuperauimus, æstiua tempora tra-
ducendi: Tanta animos nostros incessit ur-

a 2 bis

his cupiditas , ut nulli nec^q remi, nec^q uen-
 ti satisfacere posse uiderentur : oborta loci,
 in quo eramus, infinita non dicam satietate
 (leuius enim est q̄ dolor noster deposcat)
 sed maleuolentia , sed odio , ita ut disturbas-
 tum , ac multis locis conuestitum locum
 illum uidere cuperemus . Sic enim nobis
 (nescio qua ratione) persuaseramus, nō tam
 grauiter Philoponum ægrotaturum , si illi
 frequētes adfuissemus, ut nobis in more po-
 situm erat . Nullum enim prætermitteba-
 mus diem cū in urbe essemus, quin ad illum
 familiarissime uentitaremus , horasq; mul-
 tas suauissimo sermone consumeremus. Ea
 est mehercle hominis suauitas, iñ mores, ut
 illius cōsuetudinem omnibus præfecturis
 facile anteponam : malimq; cum illo esse,
 quam in beatas insulas deportari. In urbem
 itaque uenimus : cumq; nihil nobis potius
 aut antiquius esset , quam ut illum conue-
 niremus , recta ad eius aedes, quas magnifi-
 ce ædificauit, proficisci mur : Sed forte no-
 bis illius pueri occurruunt , herumq; suum
 apud Archintum esse nuntiant: ita medicos
 quos sibi accersiueraut , consuluisse : tum
 quod ea pars urbis multo salubrior sit: tum
 quod

quod hortum domus illa habeat, qui nulla parte celebratissimis cedat. Illò mox iter conuertimus: cumq; fores occlusas offendemus, ualideq; dudum pultauissemus, cœpimus ijs, qui intus erāt, de uia clamare: Tandem in ædes intromissi, ad eiusq; cubiculum, quod in interiori ædium parte erat, deducti, uisi sumus in Elysios campos peruenisse. Nulla solitudo, nullæ fordes, nulla mœroris, aut tristitiae indicia: cedros incenderant, suauissimisq; odoribus omnia asperferant, flores undiq;: Cælati argenti, signorum, stragulæ uestis, Corinthiorumq; uasorum ornatum conspeximus cubiculum, totaq; domus symphonię cantu percrepabat. Circum uero lectū corona lectissimorum, doctissimorumq; hominum, qui de uarijs rebus colloquebantur. Aderat in primis Hieronymus Seripandus, unà cum amantissimo fratre Antonio Seripando: in quibus omnia sunt, quæ aut Fortuna hominibus, aut natura largitur: prope illos sedebat M. Antonius Caimus, iuuenis & domi nobilis, & apud Gallos, propter uirtutē, splendidus, & gratiosus: ab illius dextera assidebat Hieremias Landus omnibus rebus or-

a 3 natissi

natiſſim⁹, ſuiq; Eremitani ſodalitij ſplenditor ac decus: ab altera parte ſedebat Cæſar Casatus, homo diſertus, & omni doctrina ac uirtute ornatus: non longe aberat Gaudentius Merula, omni lepore affluens & gratia: ab illius dextra, ſi recte cōmemorāti, erat Hieronymus Garbagnanus, uir grauiſſimus atq; honestiſſimus; hunc ſequebatur Bassianus Landus, omnium quos unq; uiderim ingenioſiſſimus ac eloquentiſſimus; deinde P. Antonius Chioccha, uir ad pericula fortis, ad uſum ac disciplinam peritus, ad consilia prudens, ad caſum fortunamq; felix: dein Franciscus Piochetus, homo frugi, & in omnibus uitæ partibus moderatus, ac temperans, plenus pudoris, plenus officij, plenus religionis: ab illius dextro latere Octauianus Vofascus, cum Aphricano Boetho, qui & cæteris ornamentis, & existimatione innocentiae maxiſime florent. His medius (niſi me animus falſit) interiectus erat Gulielmus ſequa, uir admodum honestus, Gallicæq; probitatis plurimum in ſe habens: aderat etiam Augustinus Mainardus, pietate & doctrina Clarius, Galeacius Gropellus, Iuris peritus,

Clau

Clādius Figonus, Laura Barbatus, uiri clarissimi & in omni doctrinæ genere excelles. Hi omnes illum inuiserant, ut sua officia, studia, cogitationes, uoluntatem deniq; omnem deferrent, & morbum facetis narrationibus, aut lepidis fabellis alleuarent: tantumq; iam effecerant, ut altera quartana decessisset, articulorumq; dolores, quos intensissimos pertulerat, facti sint remissiores. Vbi nos aduenisse conspexerunt, illico magna facta est consurrectio: nemo fuit qui nobis caput non aperuerit, amantissimeq; dissuauiatuſ sit; nemo non dextram iunxit: quisq; rogabat, magnopereq; cōtendebat, ut prop̄ illos sederemus. Quid quæris? Si Deus aliquis ē cōelo in terras illapsus fuisset, non plus honoris habiturus erat. Assedimus inter Caimum & Hieremiam, tum quod illos nobis uoluntate, animo, sententiaq; coniunctiores existimaremus: tū quod disertos ac facetos iamdudum cognouissimus. Philoponus uero, qui nostro aduentu planè recreatus uidebatur, in me os suū obuertens, gratulor, inquit, quod Dei opt. Maximi benignitate ad nos, tui amantissimos, cupidissimosq;, saluus & incolmis redie-

ris:eram mehercule (ut nihil dissimulem, nihilq; obtegam) in magno tui desiderio: neq; solus ego, sed familiares omnes, ut pro alijs etiam affirmem, quod mihi non temere uideor facere, cum illorum omnes sensus teneam. Evidem facile nunc in animum induco meum, posse nullo negotio sic morbum istum, qui me hoc triduum acriter torcit, depellere, ut nullæ reliquæ, nullaq; uestigia appareant. Sed quæso te, quid mihi noui affers ex ea regione, quæ rerum nouarū plenissima esse solet? Cui ego, postquam ingētes, & mirificas egi gratias, de illa sua, quam in me ornatissimis uerbis declarauerat uolūtate, nihil me noui afferre dixi, præter Ciceronis libros de Gloria, & selectiores aliquot orationes castigatissimas. Quo nuncio existimabam omnes præ nimia lætitia mentis parum compotes futuros. Sed me spes mea egregie frustrata est: Tantum abest, ut illorū quisquam, præter duos, aut ad summum tres, læcaretur: ut omnino uiderer magnam aliquam futuram cladem, aut supremum aliquid exitiū nunciauisse. Augebat admirationem meam, quod illuc Ciceronis statuam, ad fabre factam, erectam uiderem

uiderem, uiserenturq; passim in eo cubicu-
 lo Ciceronis opera, uarijs Typis excusa.
 Ipse uero Philoponus in manus haberet Ci-
 ceronis officia, quae Gryphius, librariorum
 impressorum Magister diligentiss. excude-
 rat. Ob id stomachi plenus, ad Eremitanū
 me conuerto, quem Ciceronianissimū exi-
 stimabam, petoq; cur mihi non gratuletur,
 laudetq; fortunas meas: curq; se ad gratiarū
 actionem non comparet, qui tam amplum
 thesaurum attulisset. Tum ille subridens,
 Gratularer, inquit, totusq; in gratiarum a-
 ctione essem, si Theologum aliquem attu-
 lisses, qui diuinæ philosophiæ subobscura
 mihi elucidaret, qui me ad diuina inflam-
 maret, & rerum mundanarum curam ac so-
 licitudinem è pectore amoueret, qui animi
 fastum & tumorem abstergeret. Ego certe,
 ut quod sentio ingenuè, ac liberè dicā, nihil
 posse pestilentius legi arbitror. Neque me
 solum in hac hæresi esse existimes: ita sen-
 tiunt pleriq; omnes qui sani sunt. Cum nos
 uideret Philoponus altercationibus incas-
 tuisse, ueritus ne res ad conuitia perueniret,
 à quib; non procul aberat, constituit ut
 suam quisq; efferret sententiam, planumq;
 a 5 omni

omnibus faceret, quam animo de Cicerone
conceptam haberet opinionem. Itaque prior
rogatus est Aphricanus, suā ut diceret sen-
tentiam: sicque sermones (quanquam id egre
facere uideretur) ausplicatus est. A P H R I-
C A N V S. Nisi uestra autoritas, quae gra-
uissima est, tantum haberet apud me pons-
deris, quantum par est ut habeat, nunquam
adduci potuissim, ut in tam celebri cōfessu-
meam afferrem opinionē: Vereor enim cla-
rissimi uiri, ne si quod sentiam aperte dixe-
ro, multorum animi offendatur, à meque ab-
alienentur. Sin uero aliter atque sentio dicā,
conscientia, quae pro mille testibus esse so-
let, me perpetuo urget, & diuexabit. Itaque
dum in dubio sum, sentio me huic atque illuc
rapi: Vester tamen iucundissimus conspe-
ctus facit, ut minus perturbato sim animo,
sperēque uos æqui bonique consulturos, quid-
quid à me in præsentia dicetur. Iniecta est
etiam spes ex omnium mirifica indole, ut si
ulla fiat oratione mea in animis uestris of-
fensio, facile tamen possit illorū abalienata
uoluntas recolligi. Fatebor primum me
priusquam ex ephebis excederem, multam
operam dedisse, multumque industriæ in eo
legenda

legendo posuisse, multa selegisse, plurima
obseruasse, idq; factum non mea sponte, nō
meo iudicio, sed patris mei, cui semper ob-
sequentiss. esse studui, Imperio & uolunta-
te. Sed postquam licitum mihi fuit meo uia-
uere modo, necq; patris imperium aut magis-
tri metus prohiberet, cœpi angue peius
illum odisse, dictionem non probare, uitam
illius detestari, uereriq; ne assidua lectione,
ita, ut saepe fit, contaminarer, laborandumq;
& mihi aliquādo eo morbo esset, quo illum
plus cæteris laborasse uideor mihi saepius
animaduertisse, nempe gloriæ nimia cupia-
ditate: nihil enim est quod tantopere ab au-
toribus nostræ persuasionis detestetur. Ci-
tabo aliquot Ciceronis loca, unde id collis-
go, ostendamq; neminē unquam fuisse glo-
riæ tam cupidum, tam sitientem honorum,
tam ambitiosum, tam cupide populares au-
ras captantem, efficiamq; ut suo ipsius testi-
monio se iugulet, suisq; se conficiat decre-
tis. Itaq; legite epistolam, uel potius alias le-
ctam in memoriam reuocate, quam Dolos-
bellæ scribit, ubi se magno fatetur cumula-
ri gaudio, quod uulgò hominum opinio il-
lum suis laudibus sociū adscriberet, nem-
nemq;

nemcum dubitare, quin eius præceptis atque consilijs præstantissimum ciuem, singularemqe se preberet Consulem. Satis esse posset hic locus ad ostendendum, quanta gloriæ cupiditate effuderatur. Sed hoc non contentus, ad reliqua pergam: In eadem epistola de seipso loquens, sum enim, inquit, auctor qui satis est gloriæ. In epistola ad Atticum purgat se ambitionis suæ, quod diuinæ res sit honor: Legite epistolam, quam **x v.** Familiarium Luceio scriptam reliquit: ibi illam suam gloriæ nimiam appetentiam intelligetis: cum tot tantisque uerbis contensat in eius scripta referri, & quos ille dissipauerat rumusculos resqe à se parum preclaræ gestas illius monumentis consignari. **x v.** Famil. quām inaniter exultat quod à Catone laudatissimo uiro laudatus fuisset: quām putidè iactitabat se ab Octavio patrem appellatum. Præter hæc, non ne Attico mandat, ut liber quem de suis temporibus scripserat, & Athenis, & in cæteris Græciæ oppidis adseruaretur, quo sui nominis memoria prorogaretur. Necqe uelim tuos existimare, me primum ita coepisse sentire: Brutus uir sapientissimus de eodem crīmine

mine illum accusauit . Sed quid unum aut alterum locum cito pleni sunt illius libri . Sed quantum ego existimo , laudi sibi ducebat , uideri gloriæ cupidum . Nam pro lege Manilia Romanos laudaturus , hinc laudū initium facit , quod plusq; cæteræ nationes gloriæ appetentes , laudisq; audi essent . Si quæ citauit loca , uobis non satis planum id fecerint , legite initium secundi libri de Diuinatione , ubi à se editos libros recenset ; legite epistolam quam v i. Famil. ad Leptam scribit . Audet tamen os impudens primo Tusculan . philosophos nimia gloriæ cupido ditate prestringere , Marcoq; Catoni in hæc sententiam scribere : Si quisquam fuit unq; remotus & natura , & magis etiam , ut mihi quidem sentire uideor , ratione , atque doctrina , ab inani laude , & sermonibus vulgi , ego profecto is sum . Cum tamen nihil aliud uenetur , atq; omnibus uestigijs persequatur , Risi , mehercle , cum primum eum locum legi , & solutius risi , quām esset fortasse è dignitate mea . Sed quis tam ἀγέλασσος , qui rē sic ridiculam non rideat , simul & hominis incredibilem audaciam flagris dignam non censeat ? Hic cum dicendi finem fecisset Aphri

Aphricanus, Seripandus, qui solitus erat Ciceronem semper in sinu gestare, illumque passim pleno ore dilaudare, uisus est graui-
ter cōmotus, totusque rubore perfusus: Næ-
tu, inquit, Aphricane facis ut gratum ho-
minem, officijque in se collati memorem de-
cet, qui ita illū discerpas, quo magistro tam
plane & pure loqui, sic grauiter & copiose
didicisti. Quid si n̄, quos tu optimis discipli-
nis, sanctissimisque præceptionibus instru-
xisti, parem tibi gratiam referrent? Non ne
tu illos scelestissimos dices? Non ne fla-
gitiosissimos ubique predicares? Cui Aphri-
canus respondit, se nihil Ciceroni acceptū
referre, suæ (qualiscunq; esset) eruditionist;
neque quicque solidæ doctrinæ in eo autore
deprehendisse. Istuc ipsum cœpit affirmare
Merula, seque non legisse dicebat autore tam
incōstantem, tam iejunum, sic languidum
& dissolutum: qui sibi ipsi tantopere aduera-
saretur, & pugnantia loqueretur. Bone Deus,
quot ille citabat testimonia, ea promptitu-
dine & linguæ celeritate, ac si de scripto pa-
nunciauisset. An non, dicebat Merula, hæc
est inconstantia non ferenda, quando pri-
mo de Finibus Latinam linguam nō modo
non

non inopem esse, sed Græca locupletiorem.
 Ad Quintum fratrē diuersum sentit, Græcī
 cīcō accepta fert omnia. In oratione pro
 A. Cecinna Latinam prædicat inopem.
 I I. Tuscul. Græcam uerborum penuria la-
 borare scripsit. Diuinationem modo tollit,
 modo confirmat. Peccata nunc paria dicit,
 nunc imparia. Primo de natura Deorum,
 Deos inuisibiles : in libro de Vniuersitate,
 uisibiles cōtēndit. Pro A. Cecinna exiliū
 nō supplicium, sed profugium supplicij
 portum uocat : In Paradoxis scelerum pœ-
 nam appellat. Quinto Finibus Platonis &
 Pythagoræ pegrinationes magnificis qui-
 busdam uerbis uidetur uehementer proba-
 re: In epistola ad Cælum, peregrinationem
 sordidam uocat, eleuat, & damnat. X I I I.
 Famil. Terentiam laudib⁹ in cœlum ferre
 uidetur: ad Atticum & uituperat, & scele-
 rate fecisse cum Attico expostulat. Famil.
 X I I, ad Cassium scribens, Cæsarem impu-
 rum appellat, multisq⁹ modis in Officijs, &
 alijs locis conscindit: eundem laudat, scri-
 bens ad Q. Ligarium, ad Atticum, in ora-
 tione pro M. Marcello, pro Deiotaro, in eo
 mirificā īdolem, multaq⁹ à Cæsare in eum
 profecta

profecta studia & officia commemorat. Sic enim inquit in epistola quadā, Nihil unq̄ mihi uenit in mentem optare quod Cæsar ultro non detulerit. Lepidum & laudat & uituperat. IIII. de Oratore, multus est in laudando Socrate; Quinto Tuscul. multus in uituperando. IIII. de Oratore Hortensium multis ornat laudibus, idem facit in Verriis; pro Roscio. Eundē s̄a penumero lacerat. Pro A. Cluentio Verrem prætorem urbanum, sanctissimū & diligentissimum appellitat: quem suis turbulentis actionibus exagitauerat. Primo de natura Deorū uituperijs poëtas afficit, quos & laudat, & defendit, eorumq; testimonio ad sua confirmanda ac stabilienda usus est. IIII. de Naturā Deorum fabulas oppugnat, cum tamen s̄a pe ad illas cōfugiat: Nam in Verrinis ad fabulas confugit. IIII. Tuscul. narrat satis fuse, cur Niobe lapidea, cur Hecuba in cænem conuersa. Primo de Officijs Peripateticos uexat; eosdēm celebrat pro Aulo Cæcina. Iuris prudentiam euēhit, quam interdum irridet. Longum esset omnia percensere. Hæc in presentia succurrerunt, quæ ut illū dē manibus posuerim, interdixerimq; ne meum

ne meū posthac tectū subire audeāt, effe-
cerunt. Quid enim mihi lucrī esse possit cū
Eurippo: Cur enim Eurippum non appels-
iem, hominem incōstantem, qui nunquām
eundem uitæ tenorem seruet, qui modo ha-
rum, modo illarum partium sit, qui pro sua
libidine & laudet, & ignominia afficiat: Da-
ueniam Caime, si te offendō, si in tuum Ci-
ceronem sim tam accerbus. Scio te à puerō
concupiuisse semper Ciceronianum & esse,
& uideri. Ego quoq; olim, priusquam in fa-
miliaritatem M. Guarini mei uenirem, &
laudasssem & uehementissime comprobas-
sem: nunc, & si maxime uelim, non possim.
Quin tu quoq;, si sapis, abiçce nebulonem
illum litigiosum, omnium scelerum macu-
lis notatissimū. Plus (quod mihi uelim ad-
firmanti credas) & fructus & uoluptatis è
quouis alio autore (quāuis obscuro) per-
cipies. Attende quæso animum ingeniosis-
sime Caime, & uide quotquot Ciceronem
sibi imitandum proposuerunt, si non omnes
sunt aridi, ieconi, squallidi, meticulosi, exan-
gues, sine neruis, sine coloribus, aut steriles,
aut imbecillum partum edentes. Vis incis-
piā ab illo præstantissimo ciue nostro Gual-
b terio

terio Corbetta: quid ille nobis profuit suo
Cicerone , quem in succum & sanguinem
uertit: Quid illi duo pontificij collegi: nō
ne ferè steriles sunt: Consenuerunt tamen
in Cicerone . Quid excellentissimus Iulius
Camillus, uir planè candidus, cum totus in
Ciceronis lectione conquiescat: Quid Ro-
mulus Amasæus preceptor colendissimus?
Quid Flaminius? Quid Nicol. Beraldus?
Quid ille Rhetor Macliniensis ? Quid Ni-
colaus Regius, iuuenis felicissimo ingenio,
expromptaq; memoria . de quo præclara
sperarem, nisi in Ciceronianorum castra nō
explorator, sed trāfuga se recepisset: Quid?
(admove mihi aurē, ne illis rubores ejiciā)
Quid Seripandi summi Ciceronianī affe-
runt, quod nostrā studia iuuare , & promo-
uere possit? Ab alia parte illos statue , qui
Ciceronianī nec sunt, nec uideri uolunt. In-
cipe, si placet, ab insigni Theologo , sanctissi-
moq; uiro Iacobo Fabro, quantum suis la-
boribus, quantū sua industria profuit: Non
minus studiosorū rationibus conduxit bo-
ni Erasmi uirtus, ac solertia , qui ingenij sui
monumētis omniū bibliothecas auxit, uel
potius referit, ornauit, illustrauit . Quātum
rem

tem literariam promouit Budæus, vir honestissimus, totoq; orbe clarus? Ut nos iuuit Alciatus: quanquam de illo nondū habeo constitutum, in qua classe reponam. Cum illius epistolas lego, nihil tam Ciceronianum uidetur. Reliqua quæ diuinitus scripta reliquit, nō ita mihi uidentur Ciceronē redolere. Hoc mihi saltem persuasissimum est, inter illos numerandū, qui parentibus lætitia, sibi opes & gratiam, patrię nostrę & posteris gloriā afferre possunt. Quatas nobis attulit cōmoditates consumatissimus Cælius Rhodiginus, Baptista pius, Leonicus, Stephanus Niger ciuis noster, & in Græcis literis præceptor nō poenitus Petrus Grauina summo ingenio prudenterq; præditus, Augustinus Eugubinus, doctrina, integritate, uirtute, constanzaq; singulari, Aegidius Vanninius, Ambrosius Caballus, uiri ornatiissimi. Vides Caime, plures esse qui a Cicerone dissentiant, quam qui sectentur, & ambiant. Certe, inquit ridens, nā si mihi Ciceronianī recensendi sint, amplior fortasse numerus fuerit. Per me quidem liceat, inquit Merula. Tum Caimus sic ordiri cœpit: Ego primū

b 2 Fran

Franciscum Cassanum, qui medicinam Latinis literis illustrat, & profitetur in Ticinensi nostra academia, inter Ciceronianos colloco. Post illum Albutium ciue nostrum: deinde Hieremiam, quanquam nunc Ciceroni infensum esse simulet. Risimus hic omnes, amiceque & peramanter Caimum monimus, ne hominem dialecticum in certamen prouocare. Videbat omnes haud obscure illi bilem in nasum concitam. Timens itaque Philoponus ne dies altercatione consumeretur, rogit Caimum a texendo catalogo, quem instituerat, desistat: sinaturque alios suam sententiam afferre: nisi ipse quippiam haberet, quod ad rem faceret. Vnde igitur est Caimo non satis opportunum eo tempore Ciceronem ornare, aut tueri, tot uiris praesertibus, nec obscure iniquis, nec dissimilans ter infensis. Barbato mandatum est, ut quid de Cicerone existimaret, palam faceret. **B A R B A T U S.** Si me de Baldo, aut Bartolo, quos assidue uerso, rogauiissetis, non omnino desperarem, quin si non ex omni, aliqua saltem ex parte uobis satisfacere possem: neque id mihi arroganter assumere uideor, quando in ijs studijs meliores annos consumperim.

Dicam

Dicam tamen quid de uiris clarissimis audierim. Cum essem penè puer, delectabar plurimum consuetudine Alexij Benesiæ, & Domini Landi, quos inter se hac de re colloquentes saepius audiui. Illi (nisi me fallit memoriæ sensus) bipedum omniū nequissimū fuisse existimabant, seditionum omniū & escam, & flabellū : Pacis, legum, iudiciorum, ocij, bonorumq; omniū hostem. Cum iræ essent inter ipsum & Antonium, facile redissent in gratiam, si Cicero uoluisset. Sic enim ille in septima actione : Pacē cum M. Antonio esse nolo. Addebat præter hæc rei æquitatem gratiæ postponere solitum, & animo fuisse ita simulato, ut cum cuperet plura uerbis, quam re ipsa prestare, uteretur nota quapiam, qua intelligeretur ex animo id petere. Hæc dicebant se colligere ex epistola quam xiiii. Famil. ad Valerium scribit. Cum hæc ego attente colligerem : sensime inflammatum cupiditate legendi. Non enim facile mihi (quanquam illorum autoritatem grauissimam, testimoniumq; religiosissimum existimarem) persuadere poteram, ita esse, quemadmodum illi prædabant. Legi itaq; & utinam non legissem, sta

tūm ex illius oratione, quæ plus loquentiæ,
 quām eloquentiæ uidebatur habere, depre
 hendi in eo multa esse, quæ nostræ persuas
 sionī aduersarentur: ut in libris de Diuinaz
 tione, de Fato. 111. Officiorum, in oratione
 pro A. Cluentio, cognoui etiam illum solis
 tum fuisse amicitias ex utilitate metiri; quā
 quām 11. de Finibus diuersum præceperit.
 Cognoui præterea in eo malam mentē, ma
 lūm & animū. Epistola quā ad Lentulum
 scribit, illam dico, quæ est uoluminis instar,
 suæ iniquæ, ac peruersæ uoluntatis indiciū
 nō obscurum mihi exhibuit. Omitto quod
 exiliū poena mulctatus sit, quod grauissimis
 criminibus fuerit ab hominibus spectatæ
 fidei accusatus. Ego illum existimo perini
 quum, & ultorem crudelissimum fuisse, in
 signi turpitudine notatum, dedecore atque
 infamia adopertum, præposterū, ac peruer
 sum, qui ad omnem malitiā & fraudē men
 tem uersaret: & uitia, quæ à natura haberet
 plurima, etiam studio atque artificio quo
 dam malitiæ condiret. In iudicij corrum
 pendis exercitatissimū, immanni, importu
 na, accerbaq; natura, totū ex fraude, & men
 dacio factum: impudentissimum, auarum,
 petulan

petulantem, & improbum scurram: à quo omnis fraus, omnes insidiæ, omnesq; nascentur circumscriptiones: perdita nequitia, libidine effrenata, ac indomita. Criminosum, turbulentum, ueteratorem, periculoseum, nec minus nigrum, nec minus confidentem Phormione Terentiano fuisse puto. Adde iuris imperitum, summæ improbitatis: neque animi, neque consilij satis habentem: assentatorem, concitum ad rixas, ineptum, ac stultum: minacem, & arrogantem: contumacem, insolentem, superbum, ad fallendum paratißimum: Reipub. ruinā, & tempestatem: furem, sacrilegum, ad ciuile latrocinium natū. Duo Ciceronis loca præfertim me mouerunt, effeceruntq; ut illum crederem flagitiorum uitiorumq; omnium principem: Epistola VII. secundi libri ad Atticum, in qua præter alia se mira ad litigandū alacritate dicit: & quando cōmemorat, cupere se ciuium futorum, quos aliquando carissimos habuisset, quiq; de eo optime meriti fuissent, naufragia ex terra intueri, & maris turbulentos fluctus audire quietus. Non poterunt istæc efficere, ut illum crudelē, perfidum, iuris, pudoris, ac officij nescium

neſcium exiſtimē: Nondum uidebatur conuiciandi finem facturus niſi Vofascus, & Hieremias, qui ſemper intentiſſimis oculis illum iñſpexerant, leui capitis nutu ſigniſcaverent, ut à conuitijs deſiſteret. Qui cum deſtitiffet, tum Cæua gratulabūdus, Archimedes non potuiffet, inquit, melius deſcribere: næ tu mi Barbate egregius es artifex, qui ſuis coloribus illum tam belle depinxeris. Tum Barbatus ad illos conuerſus, quos Ciceronianos ſciebat, Ignoscite, inquit, ſi in uestro Cicerone laudando, nimis parcus fuī: non eſt commiſſum inuidia, aut maleuolentia, ſed certa quadam pigritia, quam Brigherasij unā cum Io. Baptista Rípano contraxi. Sufſulerunt omnes cachinnum. Ego quoque ita prolixe riſi, ut nunc etiam oculi, genæ, & latera cō doloreant. Hieremias qui plus alijſ cgre tuliffe uidebatur, quod tam effuſus conuitiator fuiffet, quantum potuit blande his uerbis Barbatū compellauit. HIEREMIAS. Vbi quæſo te Barbate diſigisti tam docte conuitiari, tamq; maledicūm eſſe, qui sanctiſſimæ illius heroinæ perpetua conſuetudine fruaris: quæ nemini maledicit, quæ de omnibus perhororifice

norifice & sentit & loquitur, quæ se totam Christo tradidit, de illiusq; erga nos benefi cijs nunquam non loquitur. Prehendit illū pallio ad alia festinantem Casatus, rogatq; nomen mulieris dicat, id uehementer contendebant Seripandi: istuc ipsum rogabat Piochetus. Tum ille: Non possum non uehementer admirari, hanc uobis illustrem fœminam incognitam esse: cum nulla iam sit tam deserta regio, quo illius sanctitatis fama non peruerteret. Cui non cognita, & perspecta est Margaritæ Cacheranæ religio: quæ Ioāni Cacherano Vofaschi regulo nupsit: quæ Hieronymam Boétam, fœminam lectissimam, & pudicissimam, à Petrarchæ studijs, ad sacras traduxit literas: cuius exemplo Angela Beccharia, Francisca Laetuata, Clara Maggiolina, Faustina Stampa, Margarita Archinta, ad Euangelicam philosophiam se contulerunt: quæ nobis Octauianum, quem hic præsentem conspiciatis, peperit. Erubuit Barbatus, ingenui sui pudoris non oblitus, ueniamq; deprecatus, quòd in maledicentiam tam effusus fuisset. Cui Philoponus ea lege, atque gratia condonari uoluit, si plures reperiētur illius sen

b s tentiæ

tentiae, alioqui interminatus est haud procul abs futurum infortunium. Rogatus est Vosafascus suam sententiam; qui non grauare, sed ut est ingenio eleganti, tenacissimaq; memoria, nulla præfatione sic cœpit: Ego illū hominem fuisse elatū, superciliosum, & supra mortales omnes iactabundum existimo, idq; primum ex ea epistola colligo, quā ad Atticum scripsit: ubi narrat, quæ facta fuerit cōsurrectio, ut illum circumsteterint iudices, & aperte iugula pro sui capitīs salute Clodio ostentarint. Item oratio pro lege Manilia xvi. Familiarium, & xiii. Liber de claris oratoribus: Primus Officiorū: Oratio pro A. Cetinna, cōtra Rullum, contra Catilinam: Itē epistola ad Lentulū confirmant me magis in mea opinione. Sed cū tertio Officiorū uideo suum ocium Aphrodisiani ocio preferre, ita sio in hac sentētia obstinatus, ut ab ea nulla ratione depelli possem. Taceo cum Bruto scribit, nullo præfido Antonium quatefecisse. Item cum ad Atticum suo aduentu reuiuiscere iustitiam, abstinentiā. Item vii. actione contra Verrem, ubi magistratus suos commemorat. Item quando ad Appium scribit, Quod dī fertum

fertum non fuerit, ne meum dixeris. Præter hæc IX. Famil. ad Papirium Pætum. huc accedit: Sedebamus in puppi, clauūq; tenebamus. Quis uero illud sine stomacho audiat, cum dicit, suum librum totum Isocratis μυροθήκαιον, atq; omnes eius discipulorum arculas consumplisse. Item, suo exemplo nō modo alios ad scribendū excitatos, sed plasnè deterritos. Quis æquis auribus illud audiatur, se Græcam nationem conturbasse & in suis Philippicis Demosthenē enituisse. Itē, Nam mihi scito à Regib; ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quod Reges mea sententia appellauerim. Item cū dicit, non erunt satis eruditī, quibus nostra cognita non fuerint. Sed stultus ego qui id uobis ostendere coner, quod uel cæco perspicuum est, quasi illum possitis in manus sumere quin uel altera pagella nō se pdat? Neque satis dispicere possum, si uera sunt quæ modo Barbatus dicebat (ut omnino uera esse credo) quanquām uifus sit modeſtiæ fines excedere, unde ille sibi tam altos simeret spiritus. Stupebant omnes Vofaschi eloquentiam: uidebatur enim aureum orationis flumen fundere. Mainardus uero, qui

qui è regione illius sedebat, s̄æpe præ magna admiratione manus tollebat, uerissima affirmans, quæ ille dixerat: Seç; animaduer tisse Ciceronianis omnibus id uitij insitum esse dicebat. His auditis, omniū oculi in eos cōiecti sunt, qui Ciceronianī habebantur: qui cum se nihil cōmotos aut perturbatos indicassent, uisic̄; potius fuissent assentiri, & in aliorum sententiā descendere, magna est orta lætitia: Nam prius formidolosi nimium erant, diffidenterç; quod in animo habebant efferebant, quod in eo cōfessu Ciceronianos aliquot esse certò scirent. Erant autem, qui maxime iudicarentur Ciceronianī, illi duo Seripandi, & Caimus. Itaq; posteaquam ille timor sublatus est, quisque cœpit illum maledictis flagellare, exquisitissimisç; supplicijs dignū iudicare. Dum hæc aguntur, ecce Placitus Sangrius & Marius Galeottus præstanti ingenio, splendidoç; apud suos loco nati. Nemo non illorum insperato aduentu magnam præsetulit lætiam, omniumç; consensu decretum est, ut quidquid illi de Cicerone sensissent, id rāsum haberetur, perinde ac si de tripode pfectum esset. Tum Sangrius, Utinam mihi quid

quiduis potius aliud imperauissetis : uere-
batur enim ne Seripandos, quos unice ama-
bat, & quorum consilijs intimus erat, offen-
deret. Sed ubi resciuit illos in sententiam no-
stram pertractos, quo esset, fuissetque semper
in Ciceronem animo, paucis declarauit :
Qualis uero illi uideretur prolixiori oras-
tione prosecutus est, periniquum, & male-
dicentissimum ubique appellans, cui summa
uoluptas esset, præclara omnia maledictis
prosequi, totisque uoluminibus conscindere.
Cui pepercit illa procax lingua: in quæ non
euomuit suum uirus: quem nō in certamen
prouocauit : Taxauit primo libro de Fini-
bus Epicurum cum gregalibus suis, illius
opinionem non intelligens, ex suo ingenio,
ut inquit poëta nescio quis, alienos mores
fingebat. Credebat Epicureos de ea uolu-
ptate loqui, qua sensus titillantur, & iucun-
de ac dulciter permouentur, quam stolidi
pecudes sectantur; cui se totum ipse dedica-
rat, & constringendum tradiderat. Sed dece-
ptus est, ut in plerisque omnibus. II. libro de
Finibus damnat Gorgiam, uirum peritis-
simum, ijsque artibus excultum & perpolitum;
quas qui habet, eruditum appellantur. Quinto
Tusculum

Tusculana. Socratem uirum sanctissimum, qui philosophiam è cœlo in terram deuocauit, qui Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est, damnat. Theophrastum, qui rerum causas tam diligenter, tantisq; sudoribus perquisiuit, & inuentas nobis tradidit: quem Aristoteles tanti faciebat, ut neminem pluris. Perstringit Aegyptios religiosissimos, quos Plato perdiscendi gratia adiuit, ad quos Dei familiarissime diuerterebant, & conuiuia libere cum illis agitare consueuerant. Audet hic sycophanta II. de Divinatione Caldæos, gentē tam sanctam, tam piām, exagitare. Eodem loco in Astrologos, petulantissime inuehitur: primo de legibus in Herodotum, historicorum omnium mea, doctorumq; sententia diligentissimum acerbissimus est: in Theopompum, omnibus ingenuis artibus instructum, in Gracchos nobilissimos & eloquētissimos. Primo Officiorum Cynicos philosophos prestantissimos. II. Offic. Panetium, uirum apprime doctum. III. Romulum, quē ob uitæ, morumq; innocentiam in numerum deorum relatum credidit antiquitas. Quot modis lacerat Antonium ciuem prestantissimum,

sum, imperatorem strenuum, & qui de
 Reip. ornamenti magis quam de sua salute
 sollicitus esset. Ad Quintum fratrem Grae-
 cam nationem, a quibus leges, doctrinæ &
 ornamenta habuimus: cui optimo quidem
 iure ingenij acumen, & optimarū artiū co-
 gnitionē tribuimus, grauissimis afficit con-
 uitjs. Pro M. Fonteio Gallorū testimonia
 eleuat, impietatis accusat, atq; miris modis
 insectatur. Et sunt Galli tam dissoluti, tam
 suæ existimationis parum amantes, ut illius
 scripta impriment, legant, circumferant, &
 quod non minime insaniè argumentum est,
 ad uerbum ediscāt. Longum esset, si uelim
 omnes percensere qui illius linguæ ictus
 pertulerunt, & quodrum existimationem ille
 conatus est labefactare. Quis nescit Catili-
 nam, quo nec melior, nec clarior quisquam
 fuit, ab eo acerbissime laceratum. Parifuro-
 re Cæsarem & palam, & clanculum mordes-
 bat. Sic & Sallustium, cuius splendorē lon-
 ge lateq; se protendentem ferre non pote-
 rat. Sic in Rullum ciuem cum primis gra-
 uem: Sic in Tuberonem, Pansam, C. Mem-
 sium, Clodium, Pisonem, Vatinium, Ver-
 tem uiros clarissimos se gessit. Evidē nisi
 uobis

uobis mea prolixitate molestus esse time-
rem, facerem ut nihil liquidius esset, quām
nullum unquam in lucem editum sic flagi-
tiosum, & rapacem, alienæq; dignitatis ho-
stem, tam crudelem. Sed spero Galeottum
meum id uobis cōmonstraturum apertius,
idq; paucioribus comprehensurū. Cui Ga-
leottus, Facile, inquit, tibi omnia assentior:
nec mihi hoc pro meo pudore assumam, ut
melius & breuius Ciceronis uitia tanquam
in tabula spectanda proponere possim: Ali-
quid tamen & ipse dicam, tum ut uobis mo-
rem geram, qui me id rogatis, quod pro ues-
stro in me iure imperare poteratis: tum ne
planè mutus inter tot facundos uidear. Si
cuiusq; scripta possunt de hominum inge-
nio testificari, credo illum fuisse hominem
effeminatum, formidolosum, ingratum, &
intemperantē: quod si quid mihi uel aram
tenēs iurasset, nunquam adduci potuisssem;
ut ei fidem haberem. Sed postquam ex eius
scriptis id colligo, credam necessum est. Si
quis posteriores epistolas, quas ad Atticū
scripsit, legerit, is profecto perspicue uide-
bit illius molliciem. Quoties cōqueritur se
totum in luctu, & mōrōre consumi, nihilq;
esse ma-

esse mali, quod non in illius fortunā incur-
rere uideretur, ubique luget; hominū frequen-
tias reformidat; amicorum conspectum fu-
gitat, cælebritates odit, lucem aspicere uix
potest, mauultque ruri agere, ubi fluctus nu-
meret, & lacertas captet, quàm in urbe aut
amicis operam nauare, aut in aliquo ocio cū
dignitate coniuncto uitam traducere. Illa
uero inculcatio Tulliola delitiæ meæ, &
paruus Cicero, non ne effœminati animi
indices sunt nec dubij nec obscuri? Vultis
illius effœminatum animum magis habere
perspectum, & cognitum: illam legite epi-
stolam, quæ Seruio Sulpitio inscripta est:
nihil uidebitis mollius, nihil putidius. In
xiiii. Famil. magis se prodit. Quàm uero
fuerit in honestis rebus, quæ illi facile æter-
nam famā conciliare potuissent timidi atque
abiecti animi, declarant oratorij libri, decla-
rant epistolæ suæ, declarat oratio, quam pro
A. Cluentio habuit. Subijciam illius uerba
quo res testatior sit: Semper equidem ma-
gno cum metu incipio dicere: quotiescumque
dico, toties in iudicium uideor uenire. In pri-
ma actione contra Verrem: Cum illius tem-
poris in mentem uenit, quo citato reo dicen-

c dum

dum est, non solum commoueor animo, sed
toto corpore perhorresco. Ausus est tamen
homo amentissimus xi. Famil. Brutū ma-
gni & excelsi animi virum timiditatis incu-
sare. De sua ingratitudine satis liquet, ex
ab alienato Q. fratribus, Terētiæ, multorumq;
aliorum animo. De sua uero intemperantia
fecit me certiorem θυρεακὴ καὶ θυρητειλα-
κάδη, Κλαερπον : de quibus in epistola ad
Gallum conqueritur, quæ certe, ut ipse ui-
detur fateri, non aliunde proueniunt. At
illam lippitudinem, qua se infestari, & cum
Attico, & cum Quinto fratre grauiter con-
queritur, putatis nimia inedia natam? Erra-
tis si alia causa obortā putatis, quam ex in-
gluuie, & bibacitate : ita doctissimus Hip-
pocrates sensit. Rem satis notam, magis etiā
cognitam facit epistola quam Papirio Peto
scripsit, in qua se dicit cruditate malle peri-
re, quam fame. Cū tamen in epistola ad At-
ticum senatores quosdam irrideat, quos fa-
mes magis, quam fama cōmouisset. Non ne
solitus erat sæpe inuocatus ad coniuia ac-
cedere? Non ne quasi mus esset, alienum
semper edebat cibū. Cur putatis aperuisse
Iudum, docuisseq; declamat̄re, nisi ut ha-
beret

beret qua ratione crapulā exhalaret? Sunt multæ aliæ familiares epistolæ, quæ helluo- nem fuisse aperte demonstrent. Nolo nunc omnia ad uiuum resecare, ne me id odio, aut malevolentia adductum facere existimetis. Erat ille oculis inflammatis, buccisq; fluen- tibus præ magna indignatione cū peroraf- set. Casatus uero ad illum conuersus, Dic mihi quæso Galeotte, quid faceres, si ille im- purus tibi obuiam ueniret: certe quantum coniectura auguror (nisi hæc iracundia, quæ prætefers deferbuisset) omnes illi dentes la- befactares, raperes, contunderes, ac cerebrū dispergeres, nullam habens sui consulatus rationem. Multa huiusmodi ultro citroq; iactata fuerunt priusquam Bassianus affur- geret, quo πολιτεύτηρος adhuc uidi neminē, uoce quidem suauissima, sed exigua, ita coe- pit: Sanè miror clarissimi uiri, quod cū hu- ius ornamenta cōmemorare constitueritis, illius recunditas uirtutes nemo adhuc de- narrarit: permittite quæso ut perpetua ora- tione illius & naturæ & doctrinæ ornamen- ta, quæ me puto bene cognita habere, ijs no- ta faciam, qui non adhuc satis nouerunt. Li- benter omnes assenserunt: nouerant illum

c 2 esse

esse cum facetum, tum disertum, & in Ciceroniana lectione usq; à paruulo exercitatū, Qui cum omnes attentos uidisset, in hunc modum loqui cœpit: Non posse (si quid iudico) illa quæ dicta sunt, ueriora esse: miror tamen nonnulla pretermissa quæ illi magis peculiaria esse nemo negauerit. Illud itaq; in primis dicam, deinde ad alia ueniā, quę Ciceronianos nostros prorsus, exultebant. Non arbitror in hanc lucem uenisse quēquam ingenio ad assentationē tam ap- posito, ut in alijs rebus, quæ libero homine dignæ sunt, ab omnibus superat, ita in adu- lando facile omnes superat: quanquam in **XIII.**, lib. epistolarum ad Atticum turpem dicat assentationem esse. Sed si cupitis nosse loca, ubi egregie magis aduletur, legite ama- bo uos in **IX.** Famil. epistolā, quam ad Do- lobellam scribit, cum dicit, libentius omnes meas laudes ad te transfuderim, q; aliquam partem exhauserim ex tuis. **VIII.** uero Fa- mil. ad Volumnium: Opus est mihi limatu- lo & polito iudicio, interioribusq; tuis lite- ris. Orationem, quam pro domo sua habuit, præterea ad Curionem. Si illic singulari sua adulazione non satisfacit, illam adite quam ad M,

ad M. Cælium proconsulem: Si ibi non cū-
mulate satisfactum fuerit, illā legite, quam
ad Cælium Curulem: Si necq; hic, necq; illic
satis aperte putidas eius adulationes depre-
hendere poteritis, multæ ex ijs quas ad At-
ticum scriptas reliquit cōtestabuntur fuisse
ad adulationes natum: neque quicquām ab
eo tam uehementer ac diligenter curatum.
Pollicitus sum uobis me paucis mieam di-
cturum sententiam alioqui citassēm plusq;
sexcenta loca, ubi suarum adulationum im-
pressa sunt uestigia, sanè quām illustria. Ad
grauiora nunc mea festinat oratio, neq; sinit
longiorem esse: satis mihi sit quasi digito
commonistrasse fontes, unde illa uberius pe-
ti possint, quemadmodum & ab alijs facti-
tatum uideo: alioqui si uelim omnia, quæ
possim, in medium adferre, & non liceret
hinc ad multam usq; noctem discedere, &
fortasse Philopono morbū augeremus, quo
leuatum cupimus. Ego sæpius admirari so-
leo, qui fit ut Cicero tanti fiat, passimq; pa-
ter eloquentiæ appelletur. Illum multi bo-
narum Artium studiosi tum carmine, tum
soluta oratione celebrant: nulli non est in
ore, pueri circunferunt, iuuenes in sinu ge-
stant,

stant, senes amplectuntur, exosculantur, in oculis ferunt, dilaudant, electissimis uerbis, grauissimisq; sententij refertū prædicant. Admirantur in eo dicendi uehementiam, & ut solitus est dicere Aluissius Vopiscus tonitrua ac fulmina. Taceo prudēs alias ineptias, ut est illa nostri Hieremiac qui cum lessisset in epistola Ciceronis: Accumbebam hora nona; Statuerat nolle accumbere nisi hora nona. Ego primum in eo doctrinam nec nosco nec probo: Sed potius, ut ipse ad Atticum scribens, de se ipso dicit, nihil est illo inertius, retusioriq; ingenio. Cū oblatus illi fuisset Serapionis liber, quo nullus apertior aut candidior, ne millesimam quidem partem intellexit, ut ipse ad Atticum fatetur. Sic enim inquit, Et quod inter nos dicere liceat uix millesimam partem intellico: nullae tamen illic tractabantur materiq; graues. Stilus erat pellucidus, nullis scatibus mendis. Præter hæc pollicitus fuerat Attico, se de Geographia aliquid scripturū: Sed statim perterrefactus, nihil amplius inquit cōfirmo: Sic enim complexus otium sum, ut ab eo diuelli non queā. Scripsit Topica quædam, & imperfecte scripsit neque plene

— plene tractauit: uix tamen dici potest quan-
ta difficultate id præstiterit. Nulla erat in
eo antiquitatis notitia, nulla rerum gesta-
rum peritia. Cœpit ætate iam deuexa & tra-
dere se Historiæ, & signa conquirere: neque
id tantum ut ullam rerum antiquarum co-
gnitionem haberet, quam ut domum orna-
ret quam libidinibus semper patere uoluit.
Legite quæso illas suas questiones, & paulo
accuratius rem attendite: nihil languidius,
nihil spinosius. In suis argumentationibus
nunq̄ non peccat ut dialectici loquuntur in
petitione principij: interdum cauilllos quo-
dam habet, sophista indignos (ne quid gra-
uius dicam) Facetias uero quas improbissi-
mus scurra negligeret. Posset mihi aliquis
(nec immerito) obijcere, si tanta est hominis
& imperitia & infantia, qui factū est, ut tam
præclara ingenij sui monimenta reliquerit.
Quibus ita breuiter responsum uolo: Pri-
mum nihil me in eo præclarum animaduer-
tisse, sed esto multa sint præclara: illud uo-
bis persuasissimum sit, ab eo aut erepta, aut
surrepta fuisse. Ut ebatur familiariter doctis
& disertis hominibus: non quod illi id cupe-
rent uel ab aliquo ille insinuaretur: sed se-

c 4 ipsum

ípsum (ut erat temerarius, & nullo pudore) ingerebat. Habebat præterea Pomponium Atticum, à quo puto pleraq; omnia illa, quæ sibi adscribit, edita fuisse. Erat Pomponius vir sane bonus, sed huius consuetudine, conuictu, consilijs ita depravatus est, ut illo nullus esset deterior; semper tamen Ciceronem excipio. Hic in huius gratiā Græcorum bibliothecas expilabat, undiq; aut furto aut precibus, aut ui, aut largitionibus libros eruebant. Ita factum est, ut Antij misericordiam haberet librorum copiam. Habuit præterea Attici libros, uniuersamq; fratris Pæti bibliothecam, qua nulla fuit unquam instructior, nec ea quidem quā Ptolomæus extruxit. De illis sumebat, & ex bonis faciebat pessima. Hinc illæ mendæ quæ in eius libris uisuntur, hinc tot desiderantur suorum librariorum indiligētia. Si fuisset in studijs tam inflammatus, in ijsq; tantos habuisset progressus, nūquām fieri potuisset, ut senex literas odiasset, quemadmodū Valerius testatur, quem autorem libentissime sequor. Ego certò scio, nulla posse in literarum studijs peccata committi, quæ ille turpissime nō admiserit. nulla est in orationibus uehementia,

mentia, nulli aculei, nulla sentio spicula. Multæ sunt in eo cacophoniæ, multa male coherentia, uerba sordida, obsoleta, incompta, horrida, inculta, stridula; Solœcismi multi, infinita impropræ dictæ, absurde methæphoræ, multa nimium longe petita. Damnat ipse tamen in Pomponio quædam nimium horride dicta. Dic mihi Cicero, an nō horride dictum impatibilem, nigror, opinatio, beatitas, pastio, rotundare, tornare, uitium, hillara uita, adulat, petessunt, Appies tas, & lentulitas, abstergebo, hillarus, Terminalia, compromissum: non modo, pro, nō modo non: nummatio, indolere, semigrare, sequestrium, latinienses, debitio, reliquas dies, albatus, fuluiaster, domo me tenui, in ante diem, illudere existimationi, desperare saluti, In discrimen esse, in potestatem esse, in frontem inscriptum: sciscere, pro sancire: latere mihi, Quidem certe, facere admirabilitatem: possunt oculi, pro ualent oculi: portiri pacem, quod si (ut es) cessabis, lacescam: pro, ut facis: ut essem, pro qualis essem: exagerare rem familiarem, pro amplificare: exarserit, pro exorta sit: extrahere rem, pro, in longum duce: regni hæreditatem, multis.

c s simis.



simis. Ille cacophoniæ non' ne in mentem
 ueniebant: citabo aliquot: illam in primis,
 Cecilliam saluere nostris iubebis literis, &
 ualebis à meo Cicerone. Item, actionemq;
 queramus, opus esse necesse nō esse se quo-
 niam, ut aīs is, sis is, lutulentus sus, nos inter
 nos, re recenti: quām aspere: & plane stoice
 dicta sunt illa, saltare, id est, imitari: saltat
 Demosthenem, scindere, pro participem fa-
 cere: uerum, id est, iustum: infici artibus, pro
 instrui, clam uos, Robora Pop. Rom. Legi-
 te epistolam quam XIII. Famil. Tironi scri-
 bit, multa impropre dicta offendetis: non
 mihi possunt ex tempore ita in mentem ue-
 nire. Certe quotiescūq; illum lego (lego au-
 tem sēpissime quo non nullorum insaniae
 satisfaciam) ita me Deus bene amet, si non
 grammaticulum uideor legere, præsertim
 cum ille mihi satis quidem inepte conetur
 explicare, quæ differentia sit inter pugnare
 & repugnare: unde dicta sit fides: quid pe-
 ierare: amicitiam ab amore dictam: quæ sit
 inter fateri & profiteri differentia: quid des-
 iectus: quid detrudi: cum dat armati diffini-
 tionem: Quid sit discriminis inter amare &
 diligere: unde ostenta, portēta, monstra, pro-
 digiaq;

digiaç; dicta sint : cum declarat uirtutem à
 uiro dictam: cum docet quid callidus , quid
 uersutus: cum differentiam assignat inuidię
 & inuidentia: ægritudinis & ægroatationis:
 item, inter gaudere & lætari : Non' ne sunt
 hæc digna quę à tanto philosopho, & à tam
 facundo oratore tractentur: Dispeream nisi
 pædagogi nostri istæc melius tractassent.
 Quot rudiusculæ locutiones in eo sunt au-
 tore, à quibus rustici abhorrerent, ut illa ad
 Curionem, Opus est nobis dux & autor:
 Putare pro nihilo: Pestilentia abiit de loco:
 Interfectus est ab uno de illis : Pecuniā nu-
 meravit de suo : De uiuo trahit : Sum totus
 uester , & esse debeo : Bene mane uenit ad
 me: Addo de meo: De principio studuit ani-
 mus occurrere. Emit de Rupilio. Totus est
 his flosculis respersus: Cū tamen dicat III.
 de Oratore : Me maior in uerbis , quām in
 sententijs eligendis labor & cura torquet,
 Ad Quintum fratrem scribit. Quid Poëma
 exigat, ipse pangendis carminibus tam ap-
 tus, ac asinus ad lyram: Pudet in ijs diutius
 esse . Dicant mihi Ciceroniani, si piaculum
 putant à Cicerone dissentire, ut potè ab ho-
 mine qui nec falli, nec fallere posset, cur me-
 tuebat

tuebat Pomponij miniatulas cerulas? Cur Brutus, & Atticus tot illius errata corrigebant? Cur Asinius & Licinius in eo tanta obseruarunt animaduersione digna? Cur se toties purgat memoriae peccatum fuisse? Cur Volumnij elimatū requirit iudicium? Omitto illud, inhibere remos, & Piræum. Sunt enim illa lippis & tonsoribus nota, & à mediocriter doctis animaduersa. Excusabunt illum fortasse Ciceroniani, Græcarū literarum studio abductū, non potuisse Latinis literis tam diligentem operam nauare. Sed si ostendero illū in Græcis parum promouisse, quid tum dicēt? è stultitia ut opinor illos ad insaniam redigā. Dicam qua ducar coniectura. Primū cum in Officijs Cyrsili Historiam narrat imperfectam, mancam, & mutilatam: cum dicit Demosthenem illi non satisfacere, nec suas implere aures. Item cum sæpe in epistolis multa Græcè dicat, quæ melius & expressius latinè dicuntur: ita ut ad ostentationē id omnino facere videatur. Cum Græcos dicit nō habere quomodo dicant ineptū; ita & faciem. Concurrunt alia, quæ hanc meam cōiecturam exageant; ut Ende lechiç uocabulum ab eo non intel-

intellectum. Cum Aiacem loco Hectoris
 loquentem facit: Cum Agamemnonis no-
 men pro Vlyssis nomine ponit: item cum
 dicit Vlyssem suorum nemine cognouisse
 & alia persimilia. Mouet etiam me Argiro-
 pili Bizantij autoritas, qui ita sensit: mouet
 me quæ perperam uertit. Non est igitur Ci-
 cero nec Latinè nec Græcè doctus. Infinis-
 ta dat in oratorijs præceptionibus docu-
 menta, quæ ipse in suis libris ne in somnis
 quidem seruat. Adulator est, Maledicus,
 effoeminatus, natus abdomini & uentri, iaz-
 etabundus, gloriæ nimium cupidus, fundi
 nostri calamitas, per quem tot incommoda
 in Romanā Remp. importata fuerunt: cu-
 ius scelere Romanæ uires conciderunt; &
 tam stulti, tam negligentes erimus, ut illum
 à nobis nō abiçiamus: & ut Romani illum
 exilio mulctarunt, ne ad illius uitia conni-
 uere uiderent, nos erimus segniores. Enim-
 uero si nobis nostra cara est existimatio, ni-
 hil loci in re tanta esse debet segnitiae aut so-
 cordiae, quin de illo sumatur supplicium,
 quod si fecerimus laudabunt omnes consi-
 lium nostrum, recte factum dicent. Si uero
 negligemus culpabunt plurimi nosq; eorū
 uitijis

uitijs assentiri existimabunt nisi male mul-
ctetur. Ne unus quidē fuit, qui non huic
rei assentiretur, Bassianumq; infinitis lau-
dibus in cœlum tolleret. Cœpta est inīri ras-
tio, quo potissimum supplicio afficiendus
esset hic scelestus. Alij in eculeum insuendū
dicebant: alij fumo extingueđum, qui tota
uita fumos uendidisset, tenebrasq; iudici-
bus offudisset; alij tollendum in crucem: alij
ex editiore loco deturbandum, quod tot de
suo deturbasset loco, suisq; euertisset fortu-
nis: alij laqueo esse illi frangendam gulam.
Sed Cœua meus humani ingenij mansue-
tiq; animi, ut potius in exilium mitteretur
persuadebat: cuius sententia nō admodum
displicuit. Sed unus restabat scrupulus, qui
nos male haberet, quo terrarum relegādus
esset ut magis, asperiusq; adfligeretur. Hic
rursus uariatum est sententijs, Casatus in
Paphlagoniæ tenebras: Boëtus in Cappa-
dotiæ solitudinem: Alij ad Indos: alij in Bi-
thiniam: alij in Numidiā: alij in ultimas
terras amandandum: Hieremias contendea-
bat relegandum in Iulijs Camilli theatrum,
id autem dicebat quo indulgentius tracta-
retur: sciebat enim illum esse Ciceroni adeo
addi

addictum ut pro illius commodis ac orna-
mentis nihil non facturus esset : huius sen-
tentiæ uehementer ab omnibus reclamatū
est : uidebatur enim aut parum prudenter
aut callide nimis excogitata. In Galliam nō
uidebatur relegandus, tum quod illic audi-
tum esset nōnullos esse Ciceronianos, tum
quod Galli nímium humani sint. Vereba-
m̄ur præterea ne si ad Claudium Forneriū,
aut aliū ē suis fratribus peruenisset, mītius
multo & honorificentius tractaretur quam
domi à sua Terentia, aut ab elegāti Tullio-
la. Nemini placuit illum ad Britannos mit-
tere, partim propter Reginaldum Polum,
partim quod Bononiæ nouissimus lega-
tum quendam Britānum hominem, qui
postea ex Italīa in Hispaniam cum Cæsare
profectus est, qui sic Ciceronis lectione de-
lectaretur, ut omnem uocem exhorret
quam apud illum non legisset. In Germa-
nia & Polonia significatum fuerat undiq;
Ciceronianos exoriri. Hispani uidebantur
in extēnos nímium officiosi. Tandem sum-
mo animorum consensu in Scythiam Re-
legatus est, Factumq; Decretum, ut si quis
unquā uel de reuocando illum ab exilio
cogi

cogitasset, pari plecteretur poena: hic etiam assenserunt. Si quis præterea illius libros legisset, aut alios legere suassisset, aut penè se retinuisse, eandem incurreret poenam: Recitatū est publicè, & clara uoce decretū quod adscribere placuit ne quid te cœlatum esset, possesq; & alijs quo ordine res gesta siet cōmodius narrare. DECRETVM: M.
 T. CICERONEM OB EIVS PESSIMA FLAGITIA, ET ANIMADVENTA FACINORA, LIBERALIVM: QVE DISCIPLINARVM IMPERITIAM PERPETVO MVLCTAMVS EXILI: SIMILI POENA ILLOS OMNES, QVI VEL VNVM VERBUM DE EO REVOCANDO FECERINT, AVT ILLIVS SCRIPTA LEGERINT. Decreto recitato, Statuam summo factam artificio quæ autore & consuatore nobili uiro Ioan. Francisco Stampa erecta fuerat, deturbant, frangunt, dissipant, & commisnuunt. His peractis non sine magna omnium lætitia Philoponus, quemadmodum præscripserant medici coenæ se dedit, nos uero quanquam ita inuitaremur ut ferè penulas scinderent, in nostra tecta exultantes ac serio

ac ferio triumphantes perinde ac si Turcam
in vincula coniectum Romam perduxisses
mus, discessimus.

C I C E R O

R E V O C A

T V S.



O S T E A Q V A M omni-
bus innotuit Ciceronem
utriusq; linguae Imperitia,
grauissimisq; criminibus
conuictum, & ad extremū
in exilium actū fuisse; ma-
gni in urbe ac foro toto inter studiosos ex-
citati sunt tumultus, & uehementes ac ira-
cundæ expostulationes. Querelis, lamenta-
tionibusq; complebant omnia: scelerate
factum detestabātur. Lugebat equester or-
do, rhoerebant ciues, squallebant quotquot
bonarum artium professores erant, demissi
adflictiç; uidebātur boni omnes: quid plus
ra: Ipsæ, ipsæ mulierculæ & manus in cœlit
tendere, & pro illius restituzione uota fa-
d cere,

cere, imagines suspendere non desinebant. Decretæ sunt communī consilio supplicationes. Coactus est studiosorum omnium senatus: E' uillis (quo se animi gratia disertissimi patroni contulerant) mox accersiti sunt, disquiricę cœptum est, num iustis ac legitimis de causis ex urbe, tam eximia uirtus, tamq; excellens industria indicta causa pulsa fuisset. Illius scripta diligenter excutiuntur: quę ab aduersarijs inuidiosè potius quam uerè obiecta fuerant, non minus accurate expenduntur: cumq; purgatum illū, à calumnijs uindiçatum, & in urbem restitutum cuperent, non omnino inter se consentiebant, qua nam ratione id fieri commodius posset, ne temere quippiam ab eis factum calumniarētur aduersarij, & aliorum atq; factū esset, acciperent. Hermes Stampa, & Ioannes Moronus officijs, usu, consuetudine coniunctissimi, & Antistites uigilantiss. suadebant, ut alicui diserto & prudenti patrono Ciceronis tuendi ac ornandi prouincia daretur: qui & si multa, ob egestias animi dotes gratia, & autoritate essent, omnibus tamen suffragijs præteriti sunt: magisq; placuit, ut idē tenor seruaretur in defen-

defendendo, qui in calumniando seruatus fuisset, quod cum omnibus placuisset, illis ipsis etiam qui prius aliter senserant, cœptum est agi de restituendo: nō nihil tamen immutata ratione: dateq; sunt priores defensionis partes Stampæ, & Morono: Secundq; Gabrieli Florentiæ, & Gabrio Panegarolæ: Tertiæ uero, Hieronymo Pecchio, & Antonio Francisco Crespo, qui & passis uelis ad eloquentiā contendebat, & propter sua in Rempub. merita omnibus gratioli erant: sicq; Moronus (ut narrationem hāc in compendium quam maxime possim conferam) aggressus est: Non possum non uehementer admirari uiri clarissimi, quæ insania aut quæ Furiæ illos agitarint, ut in hunc diuinum hominem tam petulanter & contumeliose debaccharentur, eumq; multarent exilio, qui dignus fuisset totius terræ orbis imperio, & per quem ab exilio tot in patriā reuocati sunt. Multa me hercules illi obiecta fuerunt, quæ facile si uelim nō solum infirmare, ac debilitare, sed planè delere, & abstergere possim. Sed quia placuit hāc defensionē in tres partes distribuere, ita meū dicēdi ardorem attemperabo, ut alijs etiam

d 2 magis

magis disertis magisq; in hac dicendi facili
tate exercitatis sit defendendi locus . Cri-
minabantur aduersarij nihil posse illo auto-
re pestilentius legi : eorum nomen' silentio
inuoluam , ne exulceratum animum, uel les-
uiter pungam . Multi calumniantur impe-
ritiam & iniquam religionem . Interdicunt
maxime lectionem libri de Fato, de Diuina-
tione, &c 111. Offic, quod dixerit , non esse
inferendam iniuriam , nisi prior lacessitus
fueris ; neque animaduertunt in hac parte
Ciceronem se se ad animorum imbecillitas-
tem demittere, quemadmodum in Bibliorū
libris à Deo Opt. Max. factum legimus, cū
obstinatis Iudeis repudiij libellum conces-
deret, Nouerat prudentiss. Cicero, Nō po-
se facile affectus euelli: ob id (ne illos quos
suis præceptionibus instituendos acceper-
at , nimium acerbe exasperare uideretur)
eam adiecit particulam . Parem animaduer-
to prudentiam in Paulo Tarsensi , quando
Corinthijs multa secundum indulgentiam
(sic enim ipse loquitur) & non secundum
imperium concedit . Quod ad alia loca per-
tinet, Meminerint Ciceronē academicum
in utramq; partem disputare, rei tamen ue-
ritatem

ritatem modicus tenere, & pro ea solitum
decertare non minore eloquentia, studio, &
contentione, ac si pro aris & focis decertas-
ret. Ego certe quotiescumq; illum lego, non
iuris consultum, non Rhetorem aliquem,
sed Christianissimum hominem, sed eximium
quendam euangelij preconem uideor mihi
legere: tot tantaq; in eo autore comperio,
quæ cum Christiana religione faciant: ut
illud, Ad inferos paricidij poenas luent:
Animum æternum esse: Animaduertenda
peccata; Bonum semper beatum: Cum ex-
pliatur quanta sit conscientiae uis. Item cum
dicit, Errare cuius uis hominis esse, at in er-
rore perseverare, insipientis: Cū uero irridet
Iudæorum superstitionem, Quem prophæ-
tam aut apostolum non contemno: Cum
Ambitum damnat, ipseq; de Ambitu fert
legem: Cum monet non minus otij, quam
negotij rationem extare debere. Parentum
ferendas iniurias: Parentes carissimos ha-
bendos: Pacis nomen dulce. Sed cum dicit
pietatem omnium uirtutum esse fundamen-
tum, non ne planè cum Paulo concordat:
Cum meminit uitæ perpetuæ: cū dolorem
peccati æternum adfirmat; cum assentatio-

d 3 nem

nem turpem : cum dicit bellum esse sua uita nosse; Blasphemias mittendas : Quando uero ad Atticū scribens dicit, Nostris peccatis incidimus in has ærūnas, Vacare culpa magum est solatium : Humana ferenda: Cum uero dicit, In uno salutem periclitans, non' ne ad euangelicum illud adludere uoluit, Expedit unum hominem mori, ne tota gens pereat . Ad quod etiam poëta adludens, cecinit, Vnum pro multis dabitur caput, Cum ad Brutum scribens dicit, Liberos patrum scelera luere, non' ne originis peccatum significat: Non' ne cum eo facit, Patres comedenterunt uuam acerbam, & dentes filiorum facti sunt stupidi: Cum ad eundem dicit, Animos hominum incertos: cum eo concordat, Vanum & imperscrutabile est cor hominis . Cū dicit, Peccati medicinam esse confessionem; non' ne cum disuinis literis , pontificumq; placitis consenserit: Item, Salutem desperandam eius qui ueritatem audire nolit. Cum mentionem facit Philippica prima de supplicationibus mortuorum . Cum dicit peccata paria : non' ne facit cum illo, Qui peccauerit in uno, factus est omnium reus : Cum dicit uitam mortuum

Ium mortem; Mortem non esse acceleran-
dam; Mortem omnibus incertam; Morien-
dum non esse citra Dei iussum, qui uitam
dedit; Mori non esse miserum. Item ex VI.
de Repub. Mortem esse præsentem uitam;
Hominem non esse qui uidetur, sed mens:
Cum asserit mundum per diuinam prouis-
tentiam administrari; Cum nos dicit natos
ad agendum: non ne cum Iob concordare
uidetur qui Hominem ad laborem natum
prædicat; Cum dicit nemine se odiisse. Item
cum III. de Natura Deorum, Peccatum
conscientiae pondus appellat. Cum Tuscus
ianarum quæstionum v. Paupertatem com-
mendat. Dum tollit superstitionem, atque à
Religione sciungit. Non ne fatetur Augu-
stinus, illius Hortensiū mutasse suos omnes
affectus, atque in Deum conuertisse? An
non Cicero sæpiissime turbulentis illis tem-
poribus Reipub. pacem peperit? Si cum M.
Antonio pacem recusauit, prudenter fecit:
nam simulata pace omnia fuisset depopula-
tus; diuina, humanaq; omnia peruerterisset
ille nepharius. Itaq; sic statuo, ut quam pau-
cissimis complectar, non posse melius suas
horas collocare studiosum iuuenem, quam

d 4 si illas

si illas Cicerone legēdo impenderit. Hic finem loquendi fecit, omniumq; animi uisi sunt recreati. Tum Hermes Stampa, qui plus cæteris omnibus illius condemnationem inique tulerat, singularib; p̄fum uerbis Morono gratias egit, quod tam facundum, tamq; strenuum defensorem egis-
set; deinde nonnulla aduersariorum crimi-
na diluere cœpit: Obiecerant enim, illū esse
nimium gloriæ cupidū. Quis enim, inquit,
ille, qui non Laudis cupiditate trahatur?
Vertetis uos illi uitio, quod excelsi animi,
quod generosi spiritus semper habitum est?
Non né Apostolus Tarsensis gloriañ, plus
cæteris laborauisse: Non aliunde quam à
Deo patre Optimo Max. euangelium suū
accepisse: Non māducauisse gratis panem:
Restitisse in faciem Petro. Quām s̄apissime
Hieronymus, Augustinus, Ambrosius in-
dicauerūt se glorię cupidos? Sed quod Phi-
losophos glorię cupidos p̄estrinxerit, pro-
pterea factum arbitror, quod illi de cōtem-
nenda gloria iam libris editis præcepissent.
Turpe omnino est, de eodem criminе alios
accusare, quo ipse non uaces. Sed hæc fri-
uola sunt, & in digna de quibus uerba pro-
lixius

Ixiūs fiant. Ad alia uenio, Illum elatum, & iactabundum adfirmant. Facile uideri possit elatus homo, penes quem sit Reip. summa, necis & uitæ potestas: q̄ ius diceret, qui fori Rex esset, qui sceleratorum hominum nefarios conatus reprimeret, qui coniurationes patefaceret, qui uastitatem ab urbe, cædem à ciuium suorum capite, uel cum ipsius uitæ discrimine depelleret, qui Rem pub. à summa miseria, ad summam traduces ret lætitiam. Non est iactabundus Cicero, fallitur quisquis illum iactabundum existimat sed si quæ commemorat quæ ad illius laudem facere uideantur, ob id factum suspicor, ut inde sibi posteri exempla præclaræ factorū sumerent: nisi enim clarissima illius gesta fuissent, non tantum ei tribuisset Atticus, quātum ubiq̄ tribuit, neque solus est qui illi plurimum tribuat. Quantū quæ so Seruius Sulpitius: Quantum Dolobela: quantum Papirius: quantum Plancus: quantum Cæsar: quantū Pompeius: quantum Brutus: Cupit Luceñ scriptis res suas consignari, nō ut uirtutis præmium, aut insigne honoris, aut monumentum laudis habeat: tantum ne earum rerum memoria ins d s termo

temoreretur. Commemorant loca quædā, ubi sua narrat facinora, & res à se gestas. Ridiculi sunt, & se ridendos præbēt tam frigidis calūnijs. Ad quē igitur spectabat illa narrare? Quis illa melius nouerat? Ego istā in homine tam præclaro nīmiam iactantiam nec uideo, nec agnosco. Sentio potius in eo incredibilem modestiam, ita ut Lucullum amicum intimum malit debito testimonio priuare, quām id cum sua laude cōmunicare. O' incredibilem, & propè diuinam modestiā. Non' ne modestissimus est, cum nihil se dicit inertius? Infinita sunt, unde sui pudoris suæq; modestiæ exempla sumi potuissent, præsertim in suis concionib; Sed maligni semper exquirunt, quod detrahāt, quod calumnientur. Postquam imitari non possunt, ad calūnias, ad quas facilis est trāmissio, confugiunt. Dum hæc agit, nīmum fortasse uehementer condoluit illi latus (est enim ualetudine imbecilla, laterumq; exigua firmitate) quo factum est, ut in medio suæ orationis cursu uela contrahere, ac opinione nostra celerius perorare compulsus sit. Huic aliij defensores successerunt. Ne gant primum illum mollem, aut effœminatum:

tum: sed ingenio mīti, & placido: illosq; bar
baros, Timones, humanitatis & cōmunis
sensus expertes uocant, qui uitio dederint
uxoris & filiorum charitatem. Quod certe
non fecissent si liberūm conceptam dulces
dinem animo inclusam continerent. Si lus-
get, si se in squallore p̄edictat, quis tam fer-
reus, qui non doleat, qui nō ingemiscat, qui
non frontem feriat, si se ab eo desertum ui-
derit, quem ipse omni officio, ac potius pie-
tate aliquando sit complexus, de quo sit q̄
optime meritus & in quem omnia profecta
sint quæ ab amicissimo animo proficiisci so-
lent. Rus profectus est, non ut lepusculis
insidias strueret, aut auibus tendiculas po-
neret, aut lacertas captaret: sed ut se totum
studijs philosophiæ traderet: nam cum in
urbe erat ob magnam salutatorum frequen-
tiam non ita se in literarum studijs abdere
poterat. Vide te quæso quanto calumnians
di studio flagrent qui neque pati possint
ut libere respiret, rus que ut sese honeste
oblectet, concedat. Si suum ocium Aphri-
cani ocio p̄afert, iure quidem optimo, id fa-
cit: nam Cicero sui otij fructum nec leuem,
neque contemnendum nobis exhibuit. Ta-
xarunt

xarunt illū quōd adulator esset. Bone Deus
quām sunt iniqui, Si minus honorifice de
quopiam loquatur, aut non īs ornet laudi-
bus quibus ipsi cuperent, continuo maledi-
cum clamitant. Alicnæ gloriae inuidum uo-
ciferantur, mirasq; excitant tragœdias. Si
laudet, adulatorem dicunt. Quis possit ho-
rum dura ingenia perferre, ac pati? Ego cer-
tè malim quiduis potius perpeti, quām cum
hoc hominum genere uel paucorum dierū
consuetudinem institutam habere. Præter
hæc perfidum, impostorem, rapacem uoci-
tant, cum miræ fuerit sanctitatis, & conti-
nentiæ. Si tam rapax fuisset, ut illi falsò cri-
minantur superasset Crassum diuitijs, faci-
leq; omnium uicos & prata contempssisset.
Sed ne dubita, ne uereare Cicero, illustrabit
amplitudinem tuam insignis hæc contume-
lia, nec minus honorifica tibi erunt horum
hominum quos in hoc confessu uideo præ-
clara de te iudicia, quām fuerit illa iudicium
consurrectio, que pro tua salute facta est. Et
si uenenatis horum linguis percutiare, quā-
quam te contundant, florebis tu magis atq;
magis, & quemadmodum fœnogræcum,
quo plus conculcatur, ac pedibus protra-
hitur,

hitur, eo nitidius & floridius assurgit, ita tu
magis splendidus ac conspectior fies, licet
pessimi homines omnē dent operā, & toto
pectore connīstantur nihilqz (quantum in
se) est prætermittant quod ad infuscandum
istum tuum splendorem faciat: quem multa
doctrina, plurimo tractandæ Reipub. usū,
uitæ innocentia & rectitudine tibi compa-
raſti. Dabunt illi omnino pœnas tante ini-
quitatis. Videor mihi P. C. exaudire ipsam
Ciceronis uocem queribundam quod cum
de eo condemnando ageretur nemo patro-
ciniū suscepereſit, nemo uel exiguam amo-
ris significationem dederit. Cum tamen
& prudentia & facundia bellissime instru-
cti eſſent, eoqz dicendi ac intelligendi ma-
gistro uſi fuiffent. Verum quid facias mi Ci-
cero ſi in hāc temporum iniuitatem inci-
dimus, ſi non grati animi amplius conſpi-
ciantur, ſi nō eſt in ijs fides in quibus ſum-
ma eſſe deberet, fer queſo bono ac forti ani-
mo quemadmodum & alias Fortunæ iniu-
rias perferre ſolitus es, noli cuiusqz iniuria
animi tui magnitudinem inflectere. oſtende
nunc etiā illum tuum animum fortem,
Constantem & intrepidum, quē tantopere
neſarij

nefarij , & uoluntate perdit homines extis
mescebant : quo nitebatur Respub . Cuius
fauore ac beneuolentia libere respirabant
calamitosi : in quem prospiciebant munici-
pia nostra, quo recreabātur Populi Roma-
ni amici: Quo consternebantur atque ani-
mis cadebant hostes nostri, ne putas nunc
illam tuam uirtutem, illos tuos neruos, illos
aculeos qui reconditi sunt ab aduersarijs
tuis, eorum petulantī, & procaci lingua ex-
cusos fuisse. Eadem nunc sunt de te honorū
iudicia, quæ aliàs fuerunt, eandem tibi ser-
uant uoluntatem, eandē prestant pietatem,
nihil decessit de illo pristino amore, quin po-
tius (quantum ego perspicio) tanta facta est
accesio , ut nunc quidem amare, antea di-
lexisse uideātur. Disrumpantur licet tui ad-
uersarij. Nunc raræ & eximiæ tuæ uirtutes
ab omnibus collaudātur, libri tui omnibus
uigent, non modo Italis sed & Transalpinis
qui aliàs abhorre uidebantur . Omnibus
perspecta est animi tui pietas, & gratitudo
nulli non cognitum est Ciceronem pruden-
tia, acumine, uenustate & subtilitate , tum
uero eloquentia, uarietate , copia facile o-
mnium principem esse, per te Romanæ lin-
guæ

que fines amplificati sunt, tu afflictam semper protexisti eloquentiam. Tu scriptis tuis quae ob elegantiam & puritatem ab omnibus & adamantur, & cupidissime leguntur, quae Latinæ linguæ uox esset indicasti, à te omnia præclara, grata & iucunda nobis accidunt, nihil ex te prodit non sanctū, emunctum, perpolitum, & numeris omnibus absolutū. Ob id cōuertor ego mediusfidius in stupore, sioq; Niobe stupidior. Cur illi tanto mentis errore adficiantur, ut istam tuam uirtutem, istam tuam prudentiam, sanctitatem & religionem non agnoscant, sed te potius conuitijs onerent. Evidem særissime de hac re cogitanti, non potest in mentem uenire qua ratione persuasi, sic te male accipiant. O' stolidos homines quis uos fascinauit? Quis occæcauit? Quis mente abstulit? Cur Ciceronem quo non fuit unq; neque nostra, neque patrum memoria sanctior tot contumelij adficitis: & tam strenue ad illius perniciem incumbitis? Evidem. P. Quantū ego existimo, sed fortasse uaticinor, male peribunt quotquot in huius sanctissimi uiri damnum & exitium coniurarunt. Nō possunt felices exitus habere, qui

quæ mala habuerunt initia. Vexabat illos
 tum aliquis καιρος αιμων, cū hanc susciperent
 mentem ac uoluntatem. Dicunt præterea,
 fuisse Italæ ruinam & calamitatem, quam
 ex bello & uastitate toties cum fortunarum
 capitibꝫ sui periculo eripuerat. Nullæ im-
 pendebant procellæ quas ille nō antea pro-
 spiceret, prospectas senatiū nunciaret: ac se
 mox ne in Reipublice (quæ sua uita semper
 illi & carior fuit) damnum ac exitiū erumperet
 compararet. Nulli excitabātur fluctus
 quos ille sua prudentia non coerceret ac mi-
 tigaret: ita ut è media morte reseruatus exi-
 stimaretur, ne penitus Roma cōcideret. Nō
 enim poterat occumbere Cicero, quin eodē
 motu labefactata rueret etiam Respublica.
 Cum illo boni omnes & Reipublicæ aman-
 tes, uoluntate, mente, studio, ac uoce consen-
 tiebant. Perditū uero & scelesti ab illius con-
 suetudine refugiebant: illius genium refor-
 midabant, conspectum fugitabāt. Erat in
 eius uultu seueritas quædā comitati aspersa.
 Cum incredibili morum suauitate. Scur-
 ram appellant, quod facetijs & ijs quidē
 honestis scateret. Nunqꝫ tantus moeror cu-
 iusquam animū occupare potuit, quin una
 ambula

ambulatiuncula omnē mōrorē pelleret & exhauriaret. In gratitudinē etiam cōdemnārunt, idq; stolidē, ex abalienato Terentię & Quinti fratrī animo colligunt. Primum, Quiſ nescit fœminas leues, & lubricæ fidei esse. Cupiebat illa nouos amores, ut faciunt plerēq; omnes incōstantes, rapaces, perfidē, ob id à Cicerone descivit. Non poterat bonus ille Cicerō & studijs tantam operā nauare, miserōs omnīq; præsidio destitutos, inopes à pecunia, & ab amicis, subleuare, & illius nephariæ mulieris libidinem saturare quā sexcenti salacissimū homines non satisrassent. De Quinto fratre, si apud illū plus poterant iniquorum hominum calumniæ, q̄b sua erga illum beneficia, quid faceret? In nullos ingratum fuisse video quin potius illius animū & gratum & memorem exoscular, ac suspicio. Ea erat animi ingratiudine ut ceteris omnibus satisfaceret, sibi ipsi num quām uitamq; existimaret acerbā, si in aliorum causa nō idem fecisset quod alios in sua causa fecisse cognouisset. Obiectant inconstantiam, quōd modo rē affirmet, modo neget: quod Aristoteles, quod Plato etiā, diuinō uir ingenio, s̄ape facit. Dum aliorum
e opinio

opinōnēm recitat, aliter sentit, atq; cū suā
sententia declarat. Interdū de mente sapien-
tum loquitur, interdum uulgi opinōnē re-
citat. Si multos laudat, & eosdē uituperat,
non sine causa id fit. Nā quæso dīcite mihi,
quis tam pfectus, ac plenē beatus, ut perpe-
tuo sit laudandus? At uos nīmū propēsi
estis ad calumnias. Illius laudes tacite pre-
teritis: quæ uero ad ignominiā (uestro qui-
dem iudicio) rapere potestis, uerboſe, & lo-
quaciter illa dilatatis, & quantū potestis exa-
geratis. Sed (quantū ego opinōne auguror)
breui fiet, ut facti poenitētes, cōmeritā pœ-
nam totidem uerbis deprecemini, & turpi-
ter à uestra decedatis sentētia. Latrant in eū,
q; intemperans, quod nīmū bibax: afferunt
morbos quosdam, quibus adflictaretur: affe-
runt cruditatē, & lippitudinem: citant do-
ctissimū Hippocratem. Primū ego affirmo,
non semper crapula illos morbos aduenire:
sed nimia lassitudine, nullaq; ciborum facta
cōcoctione: uel lectioni, uel scriptioni se da-
bat statim post assumptos cibos. Itā erat stu-
dijs incēsus, ut nullum remitteret tempus,
neq; se respiceret. Hinc ortæ sunt illæ ægri-
tudines, & nō aliunde. Præter hæc lippitu-
do mor-

eo morbus est, q̄ conuictū alios inficit; itaq; fieri potuit, ut alicuius consuetudine eo sit morbo contaminatus. Multa alia blatterāt, sed indigna sunt, quæ uel recenseantur. Per illū dicunt plurima fuisse in Rempub. mala importata, & splendide mentiuntur. Quot claris uiris malevolentissimorum hominū nequitia orbata fuisset Respub. nisi ille obstatisset. Quot innocentēs uiri, splendido & summo loco nati illo defendente absoluti sunt. Nisi illius grauiissima autoritas intercessisset, iudicia refrixissent, leges abolētæ, oppressi boni, perditū uero rerū potiti fuissent. Nemo unquam fuit tanta temperan-
tia, nemo illo abstinentior: quis præterea illo fuit aut probitate, aut innocentia, aut optimarum artium studio, aut ullo genere laudis præstātior? Nullius tantum fuit flumen ingenij, nulla dicēdi aut scribendi tanta uis tātaq; copia: Nullus unquam officiosior: declarāt tot epistolæ cōmendatitiæ, tot cōsolatoriæ, obiurgatoriæ. Quis unquam placabilior: nam communis concordiæ causa grauiissimas quasq; iniurias uoluntaria obliuione conterere solebat. Quis tam facilis, ad deponendā offensionem? Cui unquam suā
e 2 operam

operam denegauit: uel cui ipse eam ulterius non detulit: Quot per illum defensi cū miseri, tum opibus & gratia potētissimi: Quis non summopere concipiuit in illius amicitiam insinuari propter multas suavitates ingenij, officij, & humanitatis suæ: Non ne miseri, & inuidorum hominum calumnia oppressi, ad illius patrociniū, tanq̄ in tutissimum portū confugiebant: Infinitum esset illius omnes uirtutes narrare, in tanta præsertim temporis angustia. Illud semper omnibus persuasissimum fuit, grauissimum fuisse virum, fidei plenum, summa animi moderatione & equitate, constantem, eximia comitatem gratiosum & amandum, ingenio acri & uehementi, doctrina recōdita, & qui omnes excelluerit cum scriptionis elegantia & candore stili, tum plane diligētia & fide, nullius philosophiæ partis ignarum. Quid reliquā uitæ constantiam commemorem: dignitatem, liberalitatem, moderationem in priuatibus rebus, splendorem in publicis, ut semel finiam, nemo unquam animo aut spe maiora suscepit, qui sibi illius memoriam & imaginem proponendam non putarit. Quo fit, ut magis demirer inueniri posse homines

tam

tam pusilli animi & malevolentia ieconi, ac
inanis, qui tantam uirtutem extinctam cu-
piant, exterminandam current. O' deploran-
dam amentiam, O' facinus animaduerten-
dum: Da quæso Pater optime Maxime
ijs omnibus resipiscientiam, fac bone Deus
suum agnoscāt erratum. Fac uideant quām
turpiter delirarint, qui tot Calumnias san-
ctissimo Ciceroni struxerunt, atq; ui & im-
pressione euertere conati sunt, qui tot in il-
lum maledicta euomuerint atra bile perciti:
quæ cadere non possunt in hos mores, in
hūc pudorem, in hanc uitam, in hunc homi-
nem, qui nihil unquam deliquerit: qui pa-
triā non læserit, sed potius eximia sua uir-
tute hostilem ciuium mentem vindicauit,
perniciosumq; restrinxit furorē, qui impro-
be non uixerit, qui nō audaciæ, sed uirtutis
reus citatur. Qui ob honestissime laudatis-
fimeq; actam uitam: Qui ob præstantiam in
studijs ingenuarum artium, nunc à nōnul-
lis in exilium mittitur. Sed non potuisset
illius animi magnitudo inflecti, etiam si du-
riore pena afflictus fuisset. Nullo malo ad-
fectus est Cicero, nullū ipse hoc exilio sen-
sit incommodum. Nos incōmoda, nos mala

e 3 omnia

omnia pertulimus, qui illius sanctissima &
 iucundissima consuetudine caruimus, quan-
 tum præterea de nostra existimatione im-
 minutum ac detractum existimatis qui tam
 eximiae uirtutis nullam habuimus rationē.
 Ipsi Barbari agresti duroq; ingenio prædi-
 ti nos irrident, subsannant, & multis modis
 despiciuntur. Sperantq; breui futurū
 ut illis barbariores simus, nisi actutum re-
 uocetur Cicero, à quo lingua nostra expo-
 liri, pectus sanctissimis moribus, optimisq;
 disciplinis excoli possit. Quid igitur cessa-
 mus? Cur tam pigri sumus? Quorsum erat
 opus defendere innocentiam, pietatem, cle-
 mentiam, iustitiam? Pari ratione defenden-
 dus erit ille Deus Opt. Max. cuius sapien-
 tiam, prolixam beneficamq; naturam nulla
 cogitatione comprehendere possumus, si
 quotiescunq; iniqui suæ iniquitatis & ma-
 læ consuetudinis bene memores uolent in
 bonos uiros impressionem facere: cogen-
 dus erit senatus, paradæ defensiones, nunq;
 libere respirare licebit, nunq; non facebent
 negotium, non desistent molestiā exhibere.
 Nam hinc ipsi petunt omnē uoluptatem,
 omnem letitiam, hinc omnia sua gaudia de-
 riuant

riuant, hac esca enutriūtur, fouent, hic suas
habent delitias; sublato calumniandi studio
uitam acerbam ducūt, uiuere pœnitet, nullo
certo loco consistunt, non homines sed lar-
vae uidentur. Sed redeo ad calumnias, redeo
ad ea quæ obiecerūt. Non conor in præsen-
tia refutare quæ turbulentiss, ille Scelustius
uerius, quam Salustius, obiecit: nā seipsum
ita egregie defendit, ut illū suscepti oneris
ualde pœnituerit. Hucusq; sunt progresi
secundi Defensores, qui postq; perorarunt,
quotquot illic aderant, omnibus exultarūt
lætitijs, ita ut præ gaudio penè desipere ui-
derentur. Iam sui Ciceronis reditū gratula-
bantur; iam cōpletebantur, in manibusq;
habere uidebantur. Cū alij defensores suas
partes non minore eloquentia & grauitate
agere coeperunt: illaçq; diluere, quæ ad inge-
nij, doctrinæq; ornamenta pertinerēt. Ex-
probrarant quod Serapionis librum nō in-
tellexisset. Primū autor erat insulsus, deīns-
dustria obscurus: totū librū ἀλληγορίας ob-
scurarat & infusauerat, multa etiam γράμματα
cōpletebatur & librarioꝝ rustica ma-
nu descriptus erat, mendis præterea undiq;
scatens, integri uersus desiderabant. Totus

e 4 erat

erat deformatus & corruptus. De geographia uero, Si nō præstítit qd' Attico pollicis-
tus fuerat, summæ occupationes quas pro
Rep. sustinebat in cauſſa fuerūt, & omnino
præstat abſtinere q̄ tā fœde labi, turpiter q̄
peccare, atq̄ peccatū cū à Græcis tū à Latini-
nis animaduerto. Quoties putatis interpel-
latus fuiss' et amicorū salutatiōibus: quoties
auocatus Reip. negotijs: itaq̄ cū uideret nō
posse eo tpe id cōmode fieri, maluit in tem-
pus minus alienū differre, q̄ ea que pficere
nō potuiss' et temere aggredi. Dicūt historię
nullā habuisse cognitionem, cū tamen esset
īστοι λόγατθ. id colligūt ex epiftola quadā
ad Pompo. Atticū, ubi dicit, Ego nūc histo-
rię me trado, nō qd' tū Historias legere inci-
peret, ut iſti omnino intelligere uident'. Sed
tū Historias scribere inciperet, 'quæ si nunc
nō extāt, iniuitate tempori cōmissum exi-
ſtimo. Damnant in eo eloquentiā, qua nulla
unq̄ fuit magis eloquēs, nullius dictio tam
mūda, tam ſimplex, tā uaria, modo affurgit,
modo humi reptare uideſ', modo ſeuera ac
plane ſtoica, modo ridens & luxurians: quē
nō reficit; quē nō recreat illa beata & diui-
na

na eloquētia: ubi tātus uerbor̄ cultus: ubi tam eximius orationis splendor: ubi tā p̄eclara ornamenta, quem non rapit, afficit, ac immutat illius oratio plena salibus, non atticis tantū sed romanis, qui falsiores & magis urbani sunt. Hac eloquētia quā isti nūc nullo p̄editi iudicio damnāt & uituperant, inimicorū impetum propulsare ac propellere potuit. Hac eloquentia ne ciues sui occiderent, ardoreq; flāmē conflagraret prouidit. Hac eloquentia tot innocentes iuuit. Hac eloquentia tot salutaria consilia S.P.Q.R. Romano dedit. Hac eloquentia nobilium claustra perfregit, & effecit ut excelsō & illustri loco sita illius laus esset, fecit ut ex obscurō clarissimus euaderet, fecit ut omniū oculi in illū conīcerentur, illumq; sapientem, illū patrem patrię appellaret. Calumniatur Ciceronianos nimium redundantes, elumbes, meticulosos & steriles esse. Ego uero omnē orationem squallidam, male coherētem, impuram, & scythicismis respersam uideo, nisi Ciceronianā dictionem exprimere pro sua uirili conetur, & ad illius imitationem manū & artem dirigat. Pauca scribunt, inquit nostri aduersarij: esto, quanto satius est

e s pauca

pauca scribere & multa perperam. Illa quae ab eis tractantur sunt castigatiora, sunt magis limata, sunt politiora, sunt ἀποκάρατα, sunt μουσικάτα. Legite quæ Sadoleetus & Bembus, uiri nunc satis laudati tradiderūt & male peream nisi in eorum lectione consenescere discipiatis. Legite quæ Machliniæ sis orator Christophorus Longolius pepit & nulla unq; uobis legendi oborietur satietas. Legite quæ P. Alcionius, nunq; medius fidius illa uos lectione defatigatos sentietis. Quid si legeretis centum illas questio[n]es quas Hieronymus Seripandus conscripsit, diceretis omnino non ab homine quopiam, sed ab angelica mente cōscriptas; illas mihi inspiciundi copiam fecit Neapolí illius discipline mirificus emulator Hieremias Landus, quo nomine, me illi perpetuo obstrictum non solum confiteor, sed etiā gaudeo. Sed cur hunc nunc capio laborem? Credite mihi, nulli Ciceronem effingere ac emulari connituntur, qui eò non perueniat exiguo temporis spacio, ut inter eloquētissimos haberi possint, unus certe Julius Camillus fidē facere potest, quantum sit discriminis inter Ciceronianorū scripta & eoru[m] qui sibi Ciceronem

ronē imitandū nō proposuerūt, quanq̄ nūl
la adhuc illius scripta (quod sciā) de typis in
uulgus emanarūt. Legi ego tamen nōnulla
quę clarissimus uīr Io. Vosellus Mōtis Tro-
terij regulus legēda dedit, ne uiuā Patres si
quid purius aut candidius scribi possit: est
prēterea ingenio pangēdis carminibus ama-
bili, liberalibus doctrinis, sacraq̄ disciplina
instructus, in Ethruscis literis tantos habet
processus, ut Ethruscam nationem cōturba-
rit, quo fit, ut in spem ueniam plura præsta-
turum suo theatro q̄ polliceatur. Non ijs
contenti nostri *lux et opus si yes*, dicunt Cice-
ronianos non posse ex tempore loqui. Per-
fricuerūt isti, ut credo, frontē, nihil illos pu-
det tam splendide mentiri. Quousq; nostra
abutentur patientia: Quousq; illorum nos
furor eludet: Quousq; P. C. feretis tantā pe-
tulantiam: Feretis ne hoc īmpune: nōne su-
metis supplicium de tam aperto & īpudē-
ti mendacio: Quis nescit multos ubiq; Cice-
ronianos esse, qui tam prompte, tam celeri-
ter loquātur, ut ad extemporalem hanc elo-
quentiam nati uideantur: dixi ubiq; cū no-
uerim in Germania philippum Melan. Sy-
monē Gryneū, Ioannē ex Vlma, qui grēcas
literas

literas prius Taurini frequenti auditorio,
 nunc summa laude Neapoli profitetur: in
 Gallia Beraldū, N. Regiū: in Polonia Osiū
 & Volfangum: in Italia Flaminiū, Fondū
 lum, Ricciū Lugiēsem, Thomā Ricciū Vei
 cetinū, Corbettam, Caīmum, Oliuā, Flauīū
 capellam, & Hieremiam nostrum, quem Ci-
 ceronianū dici pudet, cūm interim nihil le-
 gat, tractet, diurnaç aut nocturna manu
 pr̄ter Ciceronem uerset: sed timet fortasse
 ne cū Hieronymo uapulet. Pudeat, timeat,
 ut ei libitum fuerit: me certe pudet quoties-
 cunq; aliud lego, quoties ex ore uox aliqua
 excidat quā apud Ciceronem nō legerim.
 Postremo condemnarunt q; gr̄ce peritus
 non esset, Proh fidem hominum non est gr̄
 ce peritus qui tam facile gr̄ca utebatur lin-
 gua atq; uernacula, qui gr̄ca carmina scri-
 bebat, qui ex tempore gr̄ce orauit, Cuius
 ob os Grai ora obuertebant sua, Istuc ipsum
 sensisse Argyropilum adfirmat. Citant me-
 hercules religiosum testem, hominē gr̄cū.
 Quis nescit gr̄cam nationē fidem, testimoni-
 orumq; religionē nunq; coluisse: Hui, tan-
 ti ne est unus exuriens Gr̄culus ut huius
 amplitudini uel tenuē notā inurere possit?

At dicent

At dicent, Philelphum quoq; taxasse Ciceronem, quòd endelechie uocabulum nō intellexerit. Videte quos testes mihi citent: nunc mēdacem Gr̄ecum, nunc hominē qui grāmaticorū canones nunq; excesserat. Si quid librariorū imprudētia, aut sciolorū in scītia peccatū est, id uni Ciceroni ascribūt, in illum transferūt omne peccatū, in illū omnē reīciunt culpā. Fuerunt postremi defensores alijs qui antea orauerant, paulo prolixiores: & ita omnia diluerunt, ut ne leue quidē crimē prēterierint, quod non purgarēt: plāneq; ostenderunt, nihil unq; ab eo profectū quod sanctum, quod perfectum īgenio, ac elaboratū industria nō esset, quamq; ei multa cū uitio turpitudineq; coniuncta obiecerint, prēter Solōcismos, & horrida quedam quę illi calūniandi studio ducti collegerāt, illis nempe facile uidebūtur horrida qui toti horridi & spinosi sunt, Ut em̄ febre labōratis omnīa amara uidētur, sic istis horridis & barbaris horrida atq; barbara uidētur omnia. Sed ijs, qui oculos & aures eruditas habent in delitījs erūt & in officio, illustrioribusq; sentētījs, cupidissime usurpabūtur. Cum iij postremi perorassent, constitutūq; fuisset

fuisse, ut Cic. reuocaret, magnus est excita
 tus plausus, incredibiliq; gaudio elati clamari
 tare cœperūt, ac si insaniret, ò factū bene, ò
 factū bene. Delecti fuerunt sex splendidi ui-
 ri qui illū senatus nomine reuocarent. Fuer-
 rūt autē Thomas Tyriacus Cassani discipu-
 lis, uir multa pietate & industria, Spiritus
 Mōticellus acri & perpolito iudicio, Euge-
 nius Mitus uir plane bonus & officiosus,
 Arnoldus Coloniensis iuuenis cū pius tū do-
 ctus, Antonius Sonerius cōmemorabili pie-
 tate ac uirtute prēditus, Vincentius Fabri-
 tius grēce & latine doctiss. Qui omnes & si
 à facūdia bellissime parati essent, uix potue-
 runt impetrare à barbaris illius reditū, tan-
 tam iam paucorū dierum interuallo sibi gra-
 tiam conciliarat, ita ingenij sui facilitate, hu-
 manitate, illorū fera pectora emolliuerat: ca-
 debāt illis lachrymæ, cū discederet & illius
 loci quē habitabat optimates om̄es ad mul-
 tum itineris comitati sunt. Cum nun̄iatum
 est illius aduentū appropinquare, significa-
 uerant autē mutatis ad celeritatē iumentis,
 rursus senatus decreto aliij sex delecti sunt,
 qui bombicinis uestibus ad talos usque de-
 missis illi honoris causa obuiā procederent.
 Fuerunt

Fuerunt (si recte memini) Nicol. Prouana,
Cassader Collimartialis cū collega suo Got
tifredo, Ioā. petrus Buzzius, M. Antonius
Beolchus, Paulus Frumētus. Kal. Ianuarij.
Anno ab orbe redēpto M.D.XXXIIII. Vr
 bem ingressus, honorificentissimeq; exce
 ptus, tantam in urbe nostra lētitiā excitauit,
 ut urbis quoq; mōenia intranti arridere ui
 derentur. Perductus in senatū orationem lu
 culentissimam habuit: Sequenti die data est
 prouincia nobīli uiro lo. Baptiste Lactuato
 ut loco demolitæ statuæ aliā curaret nō mis
 nori artificio & impensa extruendā, qd' ille
 cum libenter, tū etiam diligenter præsttit:
 itaq; Ciceronē, ut par erat, æterna triumphi
 laude decorarūt. Hī uero qui illū reduxerūt
 donati sunt annulo aureo, torque & patēra
 argentea, illis qui obuiā processerant, splen
 didam uestem mira elaboratā arte dederūt.
 Rumpebantur inuidia aduersarij dum hēc
 agerētur, metuebantq; infortuniū aliquod.
 Subornarūt itaq; uiros opibus & gratia flo
 renteis qui pro illis intercederēt. Ignotum
 est, ea lege atq; gratia, ut ad Ciceronis genua
 procumbentes ueniā deprecarentur. Tantū
 quatuor inuenti sunt qui supplices delicti
 ueniam

ueniam peterent, inter quos fuit Hieremias
eremitanus, qui disertissima oratione se pur-
gauit. Si quid ab eo cōmissum fuisset, id ma-
leuolētissimorū hominū quos sibi in cōfiliū
adhibere solebat suasu factū, esse post hac da-
turum operam, ne quicq; ab eo unq; fieret
quod ad imminuendam Ciceronis dignita-
tem faceret in conspectu patrum promisit,
Condonatū est, dataq; sunt diplomata. His
omnibus peractis tubarū mirifico & suaui
sono deducti fuerunt in amplissimā arcem
quam aulaeis & tapetis ex Syria aduectis à
summo ad imum usq; constrauerant. Quid
postea acciderit nescio, nam mihi Romam
per dispositos equos proficiscendū fuit ob
nonnulla ampla nec satis expedita negotia.
Sed puto te, de omnibus que post meum di-
scellum consecuta sunt, partim amicorum li-
teris & nuntijs certiorem factum, partim
etiam ipso rumore multa ad te perlata exia-
stimo. Bene uale.

F I N I S .





Digitized by Google